

6. *Augmentum gratiæ sanctificantis mereri potest iustus de condigno.*

7. *Perseverantiam usque ad finem vitæ mereri de condigno non possumus; sed Deus gratis perseverantiæ bonum largitur, cuicumque illud largitur.*

Faucis item exponetur, an, quid, & quomodo mereri quis possit pro aliis. Quomodo item mereri possimus bona temporaria. Videri potest S. Thom. 1. 2. Q. 114. Art. ult.

ERRORES


(1.) Lutheri, Calvini, aliorumque, vim merendi operibus bonis denegantium, & opera superogationis irridentium. (2.) Pelagii, vim merendi solis naturæ viribus tribuentis, cujus errores satis erit fuisse supra expositos, & refutatos. (3.) Baji, cujus sunt hæc

PROPOSITIONES DAMNATÆ;

2da. *Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternæ meritum, sic bonum opus ex natura sua est vitæ aeternæ meritum*

12ma. *Pelagii sententiæ est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cælestis meritum.*

In eandem sententiam ferè loquuntur Prop. 12. 15. 17. &c. Problemata nulla.



TRACTATUS IV.

*De Virtutibus Theologicis  
Fide, Spe, & Charitate.*

PROLEGOMENA.

De Virtutibus generatim.

**B**reviter commemoratis iis, quæ de virtutum naturalium habitibus à Philosophis disputata hîc postuluntur. Exponetur

netur notio habituum per se infusorum, sive virtutum supernarum, ad actus bonos, viribus solius naturæ superiores, tendentium. Quos inter, & habitus merè naturales, hoc palmarium discrimen: quòd hi *facilitatem tantum exercendi suos actus* addant potentiis naturalibus: illi verò dent *ipsam* suos actus exercendi *facultatem*. Mox sequitur, studiosè enucleanda

QUÆSTIO

Unde tam in habitus, quam actus supernos, derivetur, quòd sint supra solius naturæ vires?

DOGMATA.

1. Dantur virtutes *verè supernaturales*, & *per se infusæ*; distinctæ à virtutibus *naturalibus* acquisitis.
2. Virtutes istæ supernaturales unà cum gratia iustifica per Baptismum infunduntur, etiam parvulis.

Dogma hoc in Concilio Viennensi (Clem. un. de Sum. Trin.) proponitur tanquam *probabilius*; post Concilium Tridentinum autem est *planè certum*. Seis. 6. Cap 7.

3. Virtutes infusæ Theologicae sunt tres: *Fides, Spes, & horum major Charitas*.  
Exponetur germanum Virtutes *Theologicas* inter, & *Ethicas* discrimen.
4. *Charitas* infusa unà cum gratia sanctifica amittitur per peccatum mortale quodlibet.
5. *Fides* autem ex singulari Dei misericordia relinquitur in impio (Trid. Sess 6. Cap 15.) nec amittitur, nisi per peccata, ipsi *directò* opposita.
6. *Spes* quoque non quolibet peccato, sed solis ipsa *directò* oppositis, perditur.
7. Virtutes infusæ, peccato amissæ, recuperantur per poenitentiam.

ER.

Agi deinde poterit breviter de *Charismatis*, sive *donis Spiritus sancti*.

ERRORES

Lutheri asserentis, (1) per peccatum quodlibet amitti Fidem. (2.) per nullum peccatum amitti iusticiam, nisi per solam infidelitatem.

PROBLEMA.

An dentur etiam virtutes *ethice* infusæ ?

PARS I.  
DE FIDE.

SECTIO I.

*Quid, & quotuplex sit Fides ?*

1. Exponentur variæ significationes, quas habet nomen *Fidei*, tam in *Ss. Scripturis*, quàm in profanis auctoribus.
2. *Fides* Theologo est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Hebr. II. v. 1.  
Quæ definitio retinebitur, & explicabitur ex D. Thom, 2. 2. Q. 4. Art. 1. in C.
3. Alia est *habitualis*, alia *actûalis*.
4. Alia est *formata per charitatem*: alia est *informis, & mortua*. Trid. Sess. 6. Cap. 7. D. Thom. *ibid.* art 3 & 4.

SECTIO II.

*De Fidei ad salutem necessitate, aliisque ejus proprietatibus.*

DOGmata.

1. *Sine Fide impossibile est placere Deo*. Hebr. II. v. 6.
2. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Eph. 4. v. 5.

Non 3

Non est igitur Fides *eclectica*, in qua sit *discretes*, sive propriae electioni, locus, sed *una fides* retinenda, & profitenda, quam instituit *unus Dominus, Pater omnium*.

- 3. Debet esse *integra*, credens non tantum *precipua* rerum à Deo revelatarum *capita*, sed omnino *omnia*, quæ Deus credenda proposuit.
- 4. Debet esse *firmissima* citra hæitationem omnem.
- 5. Est homini *libera*,
- 6. Per se *obscura*, & *anigmatica*.
- 7. Quæ in cœlesti gloria evacuabitur, *1. Corinth. 13. v. 10. & 12.*

Paucis hoc loco dici poterit, an actus, aut habitus fidei maneat in beatis, & damnatis.

ERROR

Lutheri, *fidem* cum *spe*, sive *fiduciâ*, confundentis.

PROPOSITIO DAMNATA

Ab Innocentio XI. 16ta. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

PROBLEMATA.

- 1. An quæ sciuntur, & videntur, credi possint? Philosophi est, hujus dissolutionem problematis petere ex ratione naturali. Theologorum verò proprium est, eam petere ex revelatis, aliisque locis theologicis.
- 2. An fides stare possit cum evidentia in attestante?

SECTIO III.

*De objecto materiali Fidei.*

DOGmata.

- 1. Ad materiam Fidei divinæ, quò ad se, pertinent omnia, & sola illa, quæ Deus revelavit.

2. Re-

2. Revelata invenimus in Scripturis veteris, & novi Testamenti.

3. Extra Scripturas sacras in Traditionibus.

Distinguendæ hoc loco traditiones *Divina, Apostolica, & Ecclesiastica*: eæ, quæ ad *doctrinam, & quæ ad disciplinam* pertinent; *merè humana, vel historica*; *pia credulitates, ut vocantur*; demum *genuina, & spuria*. Exponetur deinde, in quibus itarum Catholici credant, in quibus verò non credant, contineri verbum Dei. De regula, secernendi, Traditiones genuinas à spuriis, agetur infra, ubi de *Regula Fidei*.

4. *Definitiones Ecclesiæ dogmaticæ* proponunt nobis revelata in verbo Dei, tam scripto, quàm tradito; eorùmque sensum genuinum docent.

Definitiones dogmaticæ plerumque fiunt conditis *Symbolis, Canonibus, Anathematismis*. Erit igitur hic occasio, indicandi præcipua symbola in Ecclesia recepta, putà, *Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, & Athanasianum*; ad quæ accesserunt variorum Conciliorum *Capitula Symbolica, & Professio Fidei Tridentina*. Ubi poterit, si non scripto, saltem verbo, inter explicandum Professor exponere, *an Symbolum Apostolicum nomen inde traxerit, quòd sit conditum ab Apostolis, in quodam Concilio collectis? An Athanasianum sit verus hujus S. Patris partus?*

5. Non *omnium*, quæ in Verbo Dei scripto & tradito revelata sunt, sed *aliquorum* duntaxat, *mysteriorum Fides expressa*, est necessarium ad salutem medium. Nihil tamen eorum licet negare, postquam est ritè propositum.

#### ERRORES

Lutheri, Calvini, aliorumque, solas scripturas sacras regulam

lam Fidei statuentium, verbum Dei traditum, uti & Definitiones Ecclesiae, respicientium.

QUÆSTIONES, & PROBLEMAT A.

1. Utrum, & quâ ratione, materia Fidei ab Adamo ad Christum creverit, à Christo item usque ad Apostolorum mortem, & ex eo tempore usque ad nos? An, & quomodo, propter novas Definitiones possit ampliùs crescere?

2. An ad materiam Fidei divinæ pertineant implicitè, aut virtute, revelata? An ex duabus præmissis revelatis, item ex una præmissâ revelatâ, alterâ aliunde certâ, per necessariam consecutionem fluentia pertineant ad materiam divinæ fidei?

Extra controversiam est, debere hæc omnia, tanquam conclusiones certas theologicas, credi saltem *fide*, quam nonnulli *obedientialem* vocant, nec posse ea sine pernitioso errore, temeritate, & hæresis suspitione, saltem negari. Dubitatur solum, an credi etiam possint, ac debeant, *fide divinâ*?

3. An *de fide*, vel *quàm certum sit*, Benedictum XIV. & quemvis individuum Romanum Pontificem, quovis tempore sedentem, esse verum Christi in terris Vicarium?

4. Quorum mysteriorum *Fides expressa* sit necessaria necessitate medii? Ubi notanda erit hæc

PROPOSITIO DAMNATA

Ab Innoc. XI. 22da: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur ratione medii, non autem explicita remuneratoris.*

NOTANDUM.

Dogma Catholicum præse significat Dogma fidei, vel ex fidei dogmate clarè erutum. In ampliore verò significatione denotat doctrinam quamlibet, quam tuentur Doctores Catholici. Secundum quam significationem triplex est dogma Catholicum; primò Imperatum, sive dogma fidei &c. 2dò Liberum, id est, in utramque partem probabile; 3tio Toleratum, id est durius, & à pluribus rejectum, nondum tamen ab Eccle-

o *Ecclesia damnatum.* Ubi Professor ostendet, vitandam ex æquo, hinc censurâ norandi alienas sententias pruriginem, inde opinandi audaciam; nec tolerata semper retineri tutò, sed mediâ quâdam viâ procedendum, ut eligatur doctrina melior.

SECTIO IV.

*De objecto formali Fidei.*

DOGMATA.

1. Deus falli in rebus cognoscendis non potest;
2. Nec mentiri, aut decipere in loquendo.  
Summa igitur Dei loquentis auctoritas est, cui fidem, & reverentiam omnes debeant.
3. Nec potest uti restrictione mentis, quæ est *revera mendacium.*
4. Nec confirmare miraculis doctrinam falsam, eamve scienter & prudenter tuenti conciliare auctoritatem.  
Ubi exponentur verorum, miraculorum à falsis discernicula.
5. Quæ fide divinâ credimus, ideo credimus, *quia Deus dixit, fallere, & falli nescius.*  
Hâc occasione paucis exponetur, quid sit *credere Deo, Deum, & in Deum.*

ERROR

Hic occurrit is, quem notat proscriptio

PROPOSITIONIS DAMNATÆ

Ab Innoc. XI. 23tix: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificandum sufficit.*

QUÆSTIONES.

1. An, & quorum respectu, sufficiat revelatio *privata* ad actum supernaturalem fidei?

2. An

2. An sufficiat merè existimata?

3. An definitio Ecclesiæ sit quædam revelationis species?

Quæstio, an Deus possit homini infundere actum, vel habitum erroris; item illa de modo solo loquendi controversia, an locutio Dei sit pars objecti formalis fidei, an mera ejus applicatio? omittentur.

SECTIO V.

De notitia revelationis, & aliis, actum supernaturalem Fidei præcedentibus.

DOGMATA.

1. Ut obligemur præcepto fidei, non est necesse, Deum locutum esse nobis singulis per se ipsum.

2. Sed sufficit, ejus Verbum prædicari nobis per missos à se ministros suos. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. v. 16.

Urgebatur hic contra Pseudoapostolos necessitas Missionis legitimæ, factæ, vel ab ipso met Deo, vel per homines, potestatem sibi divinitus concessam habentes. Neutram qui probare potuerit; ei prædicanti, fidemque reformare molienti, credi non potest. *Quomodo predicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15.

3. Ut possimus, ac debeamus, credere fide divinâ mysterium aliquod, necessarium est *judicium de vere factâ Dei locutione* ita certum, & pro ingenii cuiuslibet modulo evidens, ut non relinquat prudentem formidinem, ne locutus non sit Deus.

Exponendum hoc loco erit, unde repetatur hac evidentia pro variis hominum conditionibus: & que sufficiat rudibus.

Sub-



Subjungetur tum integra *Fidei analysis*, quæ non est eadem in omnibus; ostendeturque, quomodo nullus in ea committatur *Circulus*.

4. Ex parte voluntatis requiritur *pia affectio*, & imperium, juxta doctrinam Concilii Arausic. II. *Can. 5.*
5. Quod imperium captivat intellectum in obsequium fidei, ut is firmissimè, & constantissimè, assentiatur rebus revelatis.

ERRORES

(1) Quorundam hæreticorum priscorum, qui desiderabant factam ad singulos ipsiusmet Dei locutionem. (2.) Anabaptistarum fanatica persuasio, quâ sibi persuadent, quidquid ferè unicuique eorum in mentem venerit, inspirari sibi à Spiritu Dei. (3) Aliæ quædam doctrinæ, quas perstrinxit Innoc. XI. his

DAMNATIS PROPOSITIONIBUS.

19. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*
20. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.*
21. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitiâ solum probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit & cutus Deus.*

PROBLEMATA.

1. An iudicium credibilitatis necessariò sit actus in se supernaturalis?
2. An in fidelibus sit *lumen aliquod suavisimum, & discerniculum*, per quod revelationem veram discernant à falsa?  
Systema Perezii, Pallavicini, Esparzæ, aliorumque *luminis suavis* contra Communiorem *patronorum*, non oneretur *invidiâ spiritus privati*, de quo mox infra-  
SE-

SECTIO VI.

*De Fidei professione in aliqua Religione externa.*

PRÆSCITA.

1. Religio est virtus, quâ Deo debitus, tam interior, quàm externus, cultus exhibetur.

2. Cultus hic positus est in observatione totius systematis dogmatum, & præceptorum ad mores pertinentium, quæ Deus statuerit.

3. Religio vera est, cujus nullum dogma falsum, nullum præceptum malum est. Falsa, quæ in alterutro vacillat.

4. Religio alia naturalis dicitur, alia supernaturalis. Priorem sola dicitur recta ratio. Posteriori luminis rationis, & juri naturæ, superaddit quædam dogmata, & præcepta, divinitus revelata, captum solius naturalis luminis excedentia.

5. Religionis nomine hodie passim significatur etiam cætus hominum, certam religionem, tam interiorem, quàm externam, profitentium. Quo significatu Religio idem est, quod Ecclesia.

DOGMATA.

1. Præter Religionem naturalem, existit aliqua supernaturalis, divinitus imperata.

2. Inter religiones omnes, in orbe terrarum se efferentes, una tantum potest vera esse, & salutifera.

Reliquæ ergo omnes sunt falsæ. Ubi demonstrabitur imprimis religionum, ethnica, judaica hodierna, mahumetana, aliarumque, à Religione catholica versarum, falsitas, ex earum ortu, progressu, dogmatibus absurdis, morum præceptis perversis. Veritas religionis Catholice commodius demonstrabitur infra, ubi de notis veræ Ecclesiæ.

3. Non est cuiuslibet liberum eligere sibi religionem aliquam pro suo lubitu.
4. Sed jure naturali, & divino, tenetur quisque eam solam religionem, interiorem, & exteriorem, quam Deus signis sac manifestis ostenderit veram, & à se mer institutam, non tantum corde tenere, ac colere;
5. Verum etiam, eam solam profiteri exterius in illo cœtu, sive Ecclesiâ, quam Deus constituit.

Non licet proinde fictè solum simulare foris religionem, sive veram, sive falsam.

#### ERRORES

(1.) Atheorum, omnem religionem respicientium; & Theistarum, solam naturalem sectantium, de quibus Tract. præc. P. 2. sect. 3. Err. 1. (2.) Indifferentium, quorum duæ sunt classes. Alii enim salutem promittunt omnibus, quamcunque religionem colentibus, modo illa *unum solum verum Deum* adoret. Alii Religionem quidem *Christianam* requirunt ad salutem; Sed satis esse dicunt, modo retineantur præcipua & *substantialia* ejus *capita*, in quibus sectæ omnes Christianæ consentiunt; Reliqua esse *adiaphora*. (3.) Syncreticorum, ex religionibus dissentientibus unam conflare nitentium, cedendo dogma, vel ritum, unum alterumve aliis, & sibi vicissim alia quædam postulando, pacis gratiâ, ut ajunt.

Ubi locus erit dicendi aliquid de Libello *Interim* dicto; & de meditata toties frustra inter se à Protestantibus concordia.

(4) Spenceri, & multorum hodie Pseudo-politicorum, asserentium, velle Deum adorari *in spiritu, & veritate*: quod ad cultum externum verò, in diversis religionibus diversum, nihil referre ad salutem, quem amplectaris.

PRO-

PROPOSITIO DAMNATA

Ab Innoc. XI. 18va. si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.

QUÆSTIO.

Utrum aliquando liceat homini, præsertim Principi, aut Dynastæ, religionem mutaturo, ad evitandas turbas, & gravia incommoda, celare usque ad tempus opportunum clam adoptatam religionem?

Reliqua præcepta, tam affirmativa, quàm negativa, amplectendi & profitendi fidem, ejusque actus eliciendi, relinquuntur Professori Theologiæ moralis.

SECTIO VII.

De regula Fidei, & quibus hanc dotibus præditam esse oporteat.

DOGmata.

1. In hypothese, quâ Deus unam aliquam fidem, & religionem, voluit imperare omnibus (ut dictum Sect. præc. Dog. 3. & 5.) debuit etiam suppeditare aliquam generi humano regulam certam, cujus ope possit vera fides, & religio clarè secerni à falsis.

2. Prima quidem & præcipua fidei, & religionis regula est verbum Dei, tam scriptum, quàm traditum, ut supra dictum Sect. 3. Dogm. 2. & 3.

3. Præter illud tamen oportet esse vivam quandam regulam, quæ sit controversiarum, de religione fortè nascentium, judex.

4. Vi-

4. Vivam hanc regulam oportet esse (1) *constantem*, & nunquam usque ad consummationem sæculi deficientem: (2) *Semper rectam*, & in rebus ad religionem pertinentibus *falli nesciam*: (3) *immutabilem*: (4) *aspectabilem*, ac sensibus expositam.
5. Regula hæc est cœtus hominum Deo fidelium, in quo divina Providentia nunquam permittit deficere fidos verbi sui præcones, interpretes, cultodes.
6. Cœtus iste post Christi Domini tempora est Ecclesia ejus Catholica.

Hic erit locus demonstrandi, genuinas veræ religionis Christianæ Catholicæ notas manifestè in nullam, nisi Ecclesiam nostram, convenire.

*Corollarium.* Hæc ergo docente discimus, an, & quale exstet Dei Verbum; quæ sit non corrupta Librorum sacrorum editio; quis genuinus eorum sensus.

### ERRORES

(1) Lutheranorum, Calvinianorum, aliorumque hujus ævi A catholicorum, nullam fidei regulam agnoscentium, nisi solam sacram Scripturam cum spiritu privato: Ecclesiam Christi dicentium à multis sæculis defecisse à doctrina Apostolorum; eandem invisibilem esse contendentium; Adulterinas veræ Ecclesiæ notas proferentium. (2) Socinianorum, judicem controversiarum fidei rationem humanam statuentium.

### SECTIO VIII.

#### *De Corpore Ecclesiæ.*

1. Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. *Concil. Lat.*

Cujus despectâ auctoritate, si quis opinionem in fide singularem pertinaci animo tueatur, *Hæresis* est; si ab unitate ejus recedat, *Schisma*.

Ubi ostendetur, quanta, & quàm perniciosâ sit, tum hæresos, tum schismatis, malicia; schismata item famosiora historicè delibabuntur.

2. Ecclesia Christi non est cœtus, humanâ politicâ potestate coordinatus.
3. Neque Collegium mutuo fidelium consensu coalitum, & *legibus*, ut vocant, solùm *conventionalibus* temperatum.
4. Sed est ab ipsomet Christo Domino fundata, & suis legibus constituta.
5. Ad ejus corpus pertinent baptizati fideles, non tantùm justî & electi, sed etiam mali, & reprobi.
6. Baptizati, hæretici, schismatici, apostatæ, & excommunicati, sunt quidem membra Ecclesiæ, sed à Christi corpore resecta.
7. Christo per Baptismum nunquam inserti, non pertinent ullo modo ad ejus Ecclesiam.

#### ERRORES

(1) Quorundam modernorum Protestantium, Ecclesiam, duce Pufendorffio in Libello *de Habitu relig. ad S. C.*, dicentium esse collegium, mutuâ conventionione fidelium conflatum (2) Hussi, Lutheri, & Calvini, solos justos & prædestinatos, exclusis impiis, & reprobis, inter Ecclesiæ membra numerantium; quibus assentitur Quesnellus, cujus hæc est

#### PROPOSITIO DAMNATA.

72da. *Nota Ecclesiæ Christiana est, quòd sit catholica, comprehensivans,*

dens, & omnes Angelos cæli, & omnes electos, & justos terra, & omnium seculorum. Synonyma sententia est sex aliarum propositionum sequentium. Ad quas roborandas abutitur loco S. Pauli Hebr. 12. v. 22. & 23.

Hujus quoque loci sunt Joannis Hufs. Art. 1. 3. 5. & 6.

QUÆSTIONES.

1. Utrum infidelis, aut hæreticus, *materialis*, ut vocant, possit salvari. Ubi cavendæ hæ duæ

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Baji 68. *Infidelitas purè negativâ in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Ab Innoc. XI. 4ta: *Ab infidelitate excusatur infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili.*

2. Utrum, si talis salvetur, salvetur intra, an extra Ecclesiam.

SECTIO IX.

De Hierarchia Ecclesiastica.

DOGMATA.

1. Est in Ecclesia Christi divinitùs instituta *Hierarchia* quædam, sive Principatus sacer, quo ea gubernetur. *Trid. Sess. 23. Can. 6.*
2. *Caput supremum* totius Ecclesiæ est Christus Dominus; *visibile* quidem, dum in terris visus est, nunc verò *invisibile*.
3. Discedens ex hoc mundo ad Patrem, constituit ad gubernandam Ecclesiam suam, conservandamque ejus unitatem, aliud *supremum visibile Caput*, suumque in terris *Vicarium*;
4. Qui primatum non modo *honoris*, sed & *potestatis*, obtineret in totam Ecclesiam.

5. Pri-

5. Primus horum fuit S. Petrus; neque S. Jacobum, neque S. Paulum, neque Apostolorum ullum, habens in primatu socium.
6. Quæ dignitas, & potestas, durat, transitque ad D. Petri successores, usque ad mundi finem.
7. Quicumque autem Romanæ Ecclesiæ Episcopus canonicè præficitur, est Divi Petri successor, & supremus totius Ecclesiæ Pontifex.
8. Inde à D. Petro hæc Ecclesia habita hucusque semper fuit prima totius orbis, *mater, & magistra omnium Ecclesiarum.*
9. Papa non est tantum *primus inter pares*, aut unus ex quatuor primis *Patriarchis*; sed ipsorum etiam Patriarcharum caput, & supremus iudex.

Hic de Canone 6. Concilii Nicæni.

10. Ad cujus tribunal ex omnibus orbis terræ partibus causæ per appellationem deferri possunt.
11. A Papa verò ad Concilium nulla est appellatio.
12. Præter unum totius Ecclesiæ Caput ex institutione Christi positi sunt à Spiritu S. Episcopi, *regere Ecclesiam Dei.*

Hoc loco exponetur constitutus per ecclesiasticos canones inter ipsos Episcopos ordo, Patriarcharum, Metropolitanorum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum. Quid item sint *Cardinales*, quid *Chorepiscopi*.

13. Denique singularibus etiam Ecclesiis præficiuntur



*simplices Sacerdotes, nec potestate, nec ordine, pares Episcopis.*

ERRORES

Protestantium quorundam, Ecclesiam æqualium esse somniantium. Alii Ecclesiam ab initio bicipitem, post verò usque ad Phocam statuunt fuisse acephalam. Caput Christi visibile inficiari solenne est hæreticis omnibus, maximè, dum opponentem se eorum conatibus summum Pontificem sentiunt. Janseniani Papam dicunt primum deitaxat esse inter pares. Ut impunè liceat defendere diutiùs errores suos, Concilium appellant. Fuère & inter illos Sacerdotes, qui affectarent esse pares Episcopis.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Joannis Wicleff, Art. 9. *Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.*

Art. 37. *Ecclesia Romana est synagoga satana, nec Papa est proximus, & immediatus Vicarius Christi.*

Art. 41. *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.*

Joannis Hufs, Art. 7. *Petrus non est, nec fuit, caput Ecclesia sancta catholica.*

Art. 9. *Papalis dignitas à Casare inolevit, & Papa perfectio, & institutio à Casaris potentia emanavit.*

Addatur Art. 10.

Corollarium.

*Benè igitur definitur Ecclesia, quòd sit omnium Christi fidelium, sub gubernatione Episcoporum, & unius supremi in terris Christi Vicarii, in unitate fides, & doctrina, collectum corpus.*

*Ubi: An proprietates clavium sit penes totam Ecclesiam, admissio strasio penes Papam, & Episcopos singulos?*

(115)  
SECTIO X.

*De auctoritate Ecclesie ad imperandum.*

Esse penès Ecclesie Antistites spirituale imperium, dicitur *Tract. prac. Part. 2. sect. 5. Dogm. 2.*

1. Hoc imperium complectitur potestatem *ligandi, & solvendi, per leges, & dispensationes: &*
2. *Refractarios coercendi, per excommunicationis gladium, aliásque pœnas canonicas.*
3. Huic sublimi potestati subjiciuntur *omnes baptizati, etiam hæretici, & schismatici.*

Quos, implorato etiam sæculari brachio, compescere, & ad revertendum in ovile, unde exiverunt, compellere, solita est Ecclesia: Quamquam aliquando locus videatur esse *tolerantia*, ne cum zizaniis evellatur triticum.

Hic dici aliquid poterit de bello sacro contra Albigenes, nec non agi de usu Theologico Pacis Religiosæ anni 1555. & Westphalicæ anni 1648.

4. Infideles verò, *qui baptizati non sunt, non potest Ecclesia ad fidem Christianam cogere.*

*Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?... Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit. 1. Cor. 5. 12. 13. Vid. S. Thom. 2. 2. Q. 10. art. 8.*

5. Regnum hoc Christi non eripit Principibus politicis, imò maximè salva vult, sua imperia.

6. Sed *Jus sacrorum* Christus soli reservavit *Sacerdotio.*

Principum Christianorum tamen est populos Christianos, sibi subjeçtos, legibus, & pœnis, continere in verâ religio-

nis cultu, ac sacrorum Canonum observantiâ.

An, & quatenus subditos suos *non baptizatos* possint inducere ad Christianam fidem, *directo, an indirecto*, e.g. eripiendo ipsis superstitionum fomenta, procurando præcones Verbi Dei &c. eadem occasione expeditur.

7. Ecclesiæ Prælati neque jure naturali, neque divino, neque Ecclesiastico, prohibentur possidere regna, ditiones, aliâque bona temporaria.

ERROR

Protestantium modernorum, Ecclesiæ auctoritatem solam docendi, suadendi, non verò præcipiendi, puniendi, tributivum; hæreticorum punitionem injustam, & crudelem esse criminantium; totum jus sacrorum in Principes laicos conferentium; Papæ, Episcoporum, & Clericorum, possessiones cavillantium.

PROPOSITIONES DAMNATAS

Varias exhibet Concil. Constantiense, in Joannis Wicleff *Articulis 10. 11. 12. 13. 39.* in Joan. Hufs *Articulis 14. 15. 17. 19. &c.*

Quesnelli 90ma: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habes, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu, saltem præsumpto, totius Corporis.*

QUÆSTIO

An fas sit Ecclesiæ, illatas à paganis, aliisque infidelibus, Christianæ fidei injurias bello indicto ulcisci, illòsque subjugare, aut exterminare?

COETERÆ,

1. An Ecclesia, saltem indirectam quandam, majestatem habeat in regna hujus mundi; ejus vi judicare possit de Principum *regalibus*, ut vocant; de controversiis *politicis* inter ipsos ortis, de belli *justitia*, vel *injustitia*.
2. An Ecclesia Reges apostatas, aut in excommunicatione sordescentes, exautorare possit, relaxato subditis, & vasallis juramento?
3. An

3. An Episcopi, Papâ inferiores, jurisdictionem suam habeant ab ipsomet Christo, non secus, atque ipse Papa; an verò eam accipiant mediante auctoritate Papæ.

Relinquentur Canonistis, & Publicistis

SECTIO XI.

*De falli nescia auctoritate Ecclesie, judicandi de rebus ad Religionem pertinentibus.*

DOGmata.

1. Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis

1. Tim. 3. v. 15. *Et porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Matth. 16. v. 18.

2. Hæc inerrantia in acceptis refertur Spiritui S., cujus ope Corpus Ecclesie regitur; quique suâ illustratione Præpositis ejus assistit.

3. Locum habet

(1) In proponendo genuino Dei verbo, & exponendo vero ejus sensu.

(2) in definiendis circa fidem controversiis quibuslibet.

Etiam si dijudicandum occurrat factum aliquod, ut vocamus, dogmaticum; veluti, cum agitur de scripti alicujus, vel libri, sensu, ab auctoribus intento, orthodoxo (ne ille sit, nec ne: aut de Canonizatione alicujus Servi Dei.

(3) In constituenda moralitate actionum, cum malæ à bonis discernendæ veniunt.

4. Residet autem in illis, quorum est judicare prædicta; nempe primò in Papa, saltem concordantibus Episcopis. Secundo in Episcopis, suo Capiti, Romano Pontifici, unitis; dum in unam, vel omnes, vel maxima ex parte, conspirant sententiam,

Quod

Quod verum est, sive consensus & adhæsiō ista fiat à coadunatis in Concilio, sive à dispersis extra Concilium. Ubi, quando censetur adesse consensus reliquorum Episcoporum, qualisque requiratur, utrum *expressus*, utrum *sufficiat tacitus*.

ERRORES

(1) Protestantium, Ecclesiam Catholicam & errori obnoxiam esse, & errasse, contendentium. (2) Jansenianorum, Ecclesie sententiam in solis quæstionibus *Juris*, non verò in quæstione *Facti sui* falli nesciam esse, cavillantium. Ubi historicè referentur quæsitæ ab eis varia effugia, ut summorum Pontificum Bullas eluderent. (3) Eorundem asserentium, per Ecclesie sententias imperari tantum *officiosum silentium*, non *interiorem animi assensum*: quam doctrinam confixit Clemens XI. Constitutione: *Vineam Domini Sabaosh*, Anno 1705. 16. Julii.

QUÆSTIO.

Ex pervetusto Ecclesie usu constat, ortas in Ecclesia controversas sæpissimè, & ut plurimum ferè, decidi solere à Papa extra Concilium generale, consultis Cardinalibus suis, aliisque peritis. *Extra ordinem* verò eas decidi ab eodem, de Concilii generalis sententia.

Quæritur, an summi Pontificis auctoritas sit in definiendis religionis controversiis firma, & falli nescia, etiam extra generale Concilium.

Convenit inter Catholicos omnes, posse summum Pontificem errare primò in causis *judicialibus*, inter partes agitatis, ad religionem nihil pertinentibus; 2dò etiam in causa religionis velut *hominem*, & *doctorem privatum*; 3tò posse eum decipi in sententiis *provisionalibus*, controversiam dogmaticam nondum ultimò definiendis, nec doctrinam aliquam toti Ecclesie proponentibus.

Du-

Dubium superest, an decreta summi Pontificis, extra Concilium generale sententiam definientem de controversia dogmatica ferentis, & toti Ecclesie proponentis (quod Theologis est *Pontificem loqui ex Cathedra*) sint omni erroris periculo, & reformatione superiora?

Partem *affirmantem*, velut Ss. Scripturis, & Conciliorum, sanctorumque Patrum, auctoritati magis consentaneam, defendit torrens Doctorum Catholicorum; nondum tamen est definita. Nam partem negantem, in Synodo Cleri Gallicani Anno 1682. assertam, adhuc docent Doctores quidam Catholici, etsi numero pauciores.

Multa hac in questione ventilanda occurrent facta historica, in quibus pars negans videtur sibi deprehendisse errata Romanorum Pontificum, ut de S. Petro, Marcellino, Liberio, Siricio, Leone, Honorio, aliisque.

Notandum tamen, hanc inter Catholicos controversiam nihil prodesse Jansenianis, aliisque heterodoxis; quia in summorum Pontificum sententiam, eorum errores damnantem, summo consensu conspirant reipsa Episcopi Orthodoxi plerique omnes.

### PROPOSITIO DAMNATA

Ab Alexand. VIII. 29na. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani in fidei questionibus decernendis infalibilitate.*

Addatur, quæ autoritatē S. Augustini præhabuit Bullis.

### SECTIO XII.

#### *De Conciliis, eorumque auctoritate.*

#### PRÆSCITA.

1. Concilium Ecclesiasticum est Prælatorum Ecclesie, legitime collectorum, cætus.

2. Aliud est *generale*, aliud *nationale*, aliud *provinciale*, aliud *diæ-*

*diœcesanum. Occumenicum præse significat Concilium generale approbatum.*

DOGMATA, & PRINCIPIA.

1. Concilio oecumenico, ritè convocato, & celebrato, assistit Spiritus S., ne fallatur in rebus, Religionem concernentibus.

Facta hic occurrunt nonnulla historica, ex quibus hæretici errere conantur Conciliorum quorundam errata.

2. Ut Concilium generale censeatur legitimum, oportet illud esse *indictum à summo Pontifice*; aut, si sinè hujus auctoritate confluerit, debet Papa in illud saltem consentire, eique præfisse, vel per se, vel per legatos suos.

Imperatores, Reges, & nationes, possunt petere à summo Pontifice concilium, & locum ei celebrando aptum, nec non exceptiones contra locum, proponere.

Hic de causis indicendi Concilii: item de iis, qui ad generale Concilium convocari de jure, vel de consuetudine, debent, vel solent.

3. Ss. Scripturis, Canonibus, & rationi, magis consentaneum est, quòd Papa, canonicè electus, & totius Ecclesiæ consensu acceptatus, sit *supra Concilium*.

Explicabit Professor, quid intelligant Dòctores per hæc verba: *supra Concilium*, ut qui sinistra ideâ laborant horum terminorum, rectè imbuantur.

4. Nec Papam judicat concilium: *Nisi deprehendatur à fide devius. Can. si Papa. 6. dist. 40.*

5. Tempore schismatis, quando plures sunt Antipapæ, & nullus certus, ab Ecclesia universali agnitus, concilium

cilium convocari, & continuari ab aliis Ecclesiæ capitibus potest, in eoque *Papa dubius* judicari, & deponi.

6. In Conciliis Episcopi non sunt *meri consiliarii*, sed simul *judices*, juxta illud: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Act. 15. v. 28.

Hinc acta signare solent: *Definiens subscripsi.*

7. Concilio Tridentino, nobis ultimo, nulla deest legitimi Concilii conditio.

8. Concilia *non-generalia* non habent falli nesciam auctoritatem, nisi ab universali Ecclesia, *tacite*, vel *aperte*, approbentur, & acceptentur.

Post hæc sequetur historica, & dogmatica enumeratio Conciliorum generalium, inde à temporibus Apostolorum ad nostram ætatem habitorum. Probata, reprobata, partim probata, partim improbata, ea item, quorum dubia est legitima auctoritas, diligentissime distinguentur, crisi tamen, non tam privato genio litante, quam ex communiore Ecclesiæ judicio deprompta.

Recensebuntur item Concilia illa provincialia, quæ Ecclesiæ usu ipso censentur approbata; ut Gangrense, Ancyranum, Arausicanum II. &c. &c.

Addatur, quanta sit Conciliorum aliorum Provincialium auctoritas, tam in dogmatis, quam in morum præceptis.

ERROR

Arii, Nestorii, Calvini, Lutheranorum, auctoritatem Conciliorum habitorum, ad quæ habenda appellaverant, pervicaciter respicientium. Aliudne sperari de Jansenianis potest?

PROPOSITIO DAMNATA

Ab Alexand. VIII. 29. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate.*



QUÆSTIONES.

1. An Concilii generalis de rebus dogmaticis sententia sit certa, & falli nefcia, etiam ante confirmationem Pontificis, aut si Legati Pontificis intercesserint.
2. An Concilii generalis Canones de disciplina, & moribus vim habeant obstringendi totam Ecclesiam prius, quàm eos probaverit Papa.
3. An Canones ejusmodi, semel approbati, sine ità immutabiles; ut nec à sequentibus Pontificibus, nec Conciliis, nec consuetudine contrariâ, possint abrogari.

PARS SECUNDA.

*De reliquis virtutibus Theologicis.*

SECTIO I.

*De Spe.*

Explicatâ Spei Theologicæ notione, subjungentur hæc

DOGMATA.

*Præceptum Spei.*

1. In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. *Trid. Sess. 6. Cap. 13.*

*Materia.*

2. *Proprium, ac principale Spei objectum est ipsa aterna beatitudo. Alia verò, qua petuntur à Deo, Spes respicit secundariò, in ordine ad beatitudinem aternam. S. Thom. 2. 2. Q. 17. Art. 2.*

*Objectum formale.*

3. Spes nostra innivitur divinæ in promissis fidelitati,

om-

omnipotentia, & misericordia, velut *causa* ad sperandum *moventi*: meritis Christi, velut *causa* salutem nobis aeternam *merenti*.

*Spem precedit fides.*

4. Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.

*Actus Spei, amor concupiscentia, & erectio animi.*

5. In spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. *Trid. Sess. 6. cap. 6.*

*Comitatur timor.*

6. Veruntamen, qui se existimant stare, videant, ne cadant, & cum timore, & tremore salutem suam operentur, in laboribus &c. *Trid. ibid. Cap. 13.*

*Honestas Spei.*

7. Non peccant in omnibus operibus, qui *in illis... cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, & mercedem quoque intuentur aeternam.* *Trid. ibid. Cap. 11, ad finem.*

### ERRORES

(1.) Protestantium, qui spem, sive fiduciam reponunt in actu intellectus, quo verè justificati absque ulla dubitatione apud semetipsum debeant statuere, se esse justificados. *Arg. Trid. Sess. 6. Cap. 2. & Can. 14.* (2.) Eorundem, docentium, justificatum teneri certò statuere, se omnino esse in numero prædestinatorum *Arg.*

*Trid. ibid. Cap. 12. & Can. 15. 16.* (3) Eorundem, opera justifica-  
torum, propter retributionem æternam facta, peccata esse, sta-  
tuentium. *Trid. ibid. Cap. 11. & Can. 31* (4.) Molinosi, docen-  
tis, debere hominem internum abdicare omnem spem. (5.) Ca-  
meracensis, rati, posse reperiri statum charitatis tam perfectum,  
qui careat omni desiderio propriæ utilitatis, & salutis. Ubi non  
omitteretur elogium laudatissimi hujus Archiepiscopi; qui, utpri-  
mum intellexit, principia hæc sua esse damnata à Sede Pontificia,  
ipsumet ea damnavit palam.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Molinosi 7ma: *Non debet anima cogitare aut præmium, aut pœ-  
nam, aut paradysum, aut infernum, aut mortem, aut eternitatem.*

12ma. *Qui dedit liberum arbitrium Deo, non debet curare de  
nullare, nec de inferno, nec de paradiso, nec de habendo desiderio sua  
propria perfectionis, nec virtutum, nec propria sanctitatis, nec pro-  
pria salutis; A CUJUS ETIAM SPE PURGARE SE DEBET.*

Similis ferè est ejus Prop. 14ta.

Cameracensis 1ma. *Datur habitualis status amoris Dei, qui est  
charitas PURA SINE ULLA ADMIXTIONE MOTIVI, PROPRII IN-  
TERESSE. Neque timor pœnarum, neque desiderium remuneratio-  
num, habent amplius in eo partem &c.*

2da. *In statu vite contemplativa, sive unitiva, amittitur omne  
motivum INTERESSATUM TIMORIS, & SPEI. Eidem principio  
inmittuntur ejus Prop. 4. & octo sequentes.*

Ab Alexand. VIII. 10ma. *Intentio, quâ quis detestatur malum,  
& prosequitur bonum, merè, ut cœlestem obtineat gloriam, non est  
recta, nec Deo placens.*

PROBLEMATA.

1. An Spes complectatur desiderium, amorem concupiscen-  
tiz, & erectionem animi de bono arduo possibili consequendo:  
an vero in uno tantum, & quo istorum actuum propriè sita sit  
Spes. 2, Quale

2. Quale iudicium intellectus requiratur ad spem prudentem beatitudinis, & utrum eam sperare possit, cui revelata est sua damnatio, e. g. Antichristus.

Cætera de præcepto Spei, & peccatis illi oppositis, relinquuntur Theologiæ morali.

## SECTIO II.

### *De Charitate Theologica.*

#### DOGMATA, & PRINCIPIA.

1. Charitas est virtutum Theologicarum præstantissima, quâ Deus propter se, proximus propter Deum, diligitur.

2. Est vera cum Deo amicitia; diligens Deum propter summam *Bonitatem* ejus *absolutam*.

Ubi & exponetur, quâ ratione proximus diligatur Charitate Theologicâ.

3. Charitas alia est *via*, alia *patria*.

4. Charitas *via* alia est *incipiens*, alia *proficiens*, alia *perfecta*; quæ augeri quotidie in hac vita potest.

Amitti virtutem charitatis per peccatum mortale, dictum supra in Proleg. huj. Tract.

5. Effectum *Charitatis perfectæ* est justificatio, *fructus* est pax interior cum gaudio:

6. Non verò otiosa quies, & quædam, ut vocant, *inactio*.

Quies hæc impugnatur supra *Tract. 3. Part. 2. sect. 4. Dogm. 5.*

Hic paucis exponi potest, in quo posita sit vera piarum animarum quies.

7. Neque excludit omnem spem, & timorem.

Ubi

Ubi exponendum erit, illud Apostoli: *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem.* 1. Joan. 4. v. 18.

8. Nulla est lex, quæ jubeat opera omnia ex charitate referre ad Deum.
9. Ordinem servat Charitas, ut Deum quisque præferat omnibus, seipsum Proximo; Proximos ipsos inter quidam charitatis ordo est.

Qui pluribus explicandus relinquitur Theologiæ morali.

### ERRORES

(1.) Calvinii, asserentis, prædestinatum non posse excidere charitate. (2.) Lutheri, negantis, Deum posse in hac vita perfectè diligi. (3.) Molinosi, & Quietistarum somnia, jam antè commemorata. (4.) Quesnelli, omnia opera ad Deum ex charitate esse referenda, contendentium. (5.) Bajanorum, charitatem perfectam sinè remissione peccatorum esse posse, statuentium.

### PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Quesnelli 44ta. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostra nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum est malus.*

53tia. *Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.*

Ejusdem furfuris sunt Prop. 49. 50. 51. & seqq. septem.

Bajana 31ma. *Charitas perfecta, & sincera; que est ex corde puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ, tam in catechumenis, quam in penitentibus, potest esse sinè remissione peccatorum.* Videantur etiam Prop. 70. & 71.

### QUÆSTIONES.


I. An charitas Dei, diffusa in cordibus nostris per Spiritum S., sit aliquid creatum in anima. Ne-

Negavit Pet. Lombardus *Lib. 1. Sent. Dist. 17.* asserens, eam esse ipsum Spiritum S. habitantem in anima. Refellit D. Thom. 2. 2. *Q. 23. Art. 2.*

2. An discrimen charitatem *perfectam* inter, quæ extra Sacramentum statim sanctificat, & *imperfectam*, quæ sine Sacramento justificationis gratiam non consequitur, repetendum sit à *sola causa movente*, putà *Bonitate Dei absoluta*, an simul ab actûs *intensione*, aut *diurnitate*.

OMITTENDA.

1. An charitas sit virtus unius speciei.
2. An eadem in via, & patria.
3. An habitus charitatis possit influere in actum ipso instanti urgentis præcepti.



TRACTATUS QUINTUS.

*De Virtutibus Cardinalibus.*

POST explicatas virtutes *Theologicas* procedit Theologia dogmatica ad *ethicas*, ac præcipue ad *Cardinales*, propterea sic dictas: quod sint virtutum *ethicarum* reliquarum omnium quasi *Cardines* quidam, in quibus ex vertantur quodammodo, & sustententur.

Enumerari autem solent quatuor: *Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo.*

De virtutibus istis disputabit Theologus, modo non merè *Philosophico*, nec solum naturale lumen attendens; sed, quæ de his virtutibus dicitur ratio, conjunget more *Theologico* cum iis, quæ juri naturali superaddidère leges *divinæ*, & *humanæ*, præsertim *Ecclesiasticæ*.